



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Handleitung Zu leichterem Gebrauch Der Geist- und Sittlichen Unterrichten In Ewigen Wahrheiten

Calino, Cesare

Augspurg ; Graez, 1744

VD18 80280064

In Festo S. Annæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49389](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49389)

## I.

*Inventa autem una pretiosa margarita ab-  
iit, & vendidit omnia. Matth. 13.*

Non potuisset Anna majorem in terris invenire thesaurum præter filiam Mariam: quare non immeritò & ipsa & Joachimus terrenas despexere Divitias, seque totos divinos tradidère servitio, Deo, templo, pauperibus sua omnia relinquentes. Hæc illi fecerunt pro filia: quid nos oportet facere pro Deo? quàm stulti sunt, qui neglecto Deo divitiis sese immergunt, & pœne incurabiles se reddunt! Remedium horum curando morbo optimum est, considerare, quid post ipsorum mortem futurum sit de opibus, de corpore, de anima.  
*Mense V. Disc. 144. pag. 468.*

## 2.

*Non timebit domui suæ. Prov. 31.*

Fortis illa mulier, quam in Proverbiis suis describit Salomon, meritò appellari potest sanctissima Mater Anna, quæ dum ab infantia Deum

Deum timuit, non modo nullis ab eo flagellis castigari meruit, sed uberrimam quoque benedictionem ab illo accepit, dum Deiparam peperit, potestatemque obtinuit avertendi divina flagella ab illis, qui se suaque ejus tutelae committunt: *Non timebit domui suae.* Præcipuum S. Annæ patrociniū sentiemus in depulsione fulminearum tempestatum, si tamen timere Deum voluerimus. Hic enim se in tempestatibus terribilem exhibet, iisque utitur ad incutiendum peccatoribus terrorem. *Mense IV. Disc. 115. pag. 425. ad num. 7.*

3.

*Non timebit domui suae. Prov. 31.*

Fulmina & grandines sunt armamentarium Dei, quo utitur non solum ad terrendum, sed & puniendum. S. Annæ exemplo discamus timorem Dei, ut ejusdem patrociniū effugiāmus iram Dei. *Mense IV. Disc. 115. pag. 432. à num. 7. ad 14.*

4.

*Non timebit domui suae. Prov. 31.*

Misericors Deus ex mera nos bonitate terret per tempestates, ut animos aberrantes ad se revocet; licet enim in illis terribilem se ostendat, tamen semper in iisdem se etiam miseri-

fericordem exhibet. Hanc misericordiam ut nobis conciliemus, utilissima erit S. Annæ invocatio. *Mense IV. Disc. 115. pag. 440. à num. 14. ad finem.*

## I N F E S T O S. A F R Æ M A R T.

1.

*Præ gaudio illius vadit, & vendit universa. Matth. 13.*

S. Afra ethnico prius Veneris cultui & fædo quæstui dedita, ubi primùm à S. Narcisso didicit thesaurum regni cælestis, & mercedem æternam laboris ac doloris nostri, voluptates opésque protinus contempsit, & cruciatibus flammæ generosè se tradidit. Hæc vis est spei Christianæ, ut peccatorem incitet ad conversionem, justum roboret ad perseverantiam, afflictum quemlibet confortet ad patientiam. *Mense VII. Disc. 204. pag. 422.*

2.

*Præ gaudio illius vadit Matth. 13.*

Postquam S. Afra fide Christi imbuta prioris vitæ culpas pœnitens agnovit, quævis aspera pro JESU pati parata fuit, atque ipsam vitam flammis tradere, ut regni cælestis thesaurum obtineret. Quàm multi agnoscunt, & deplorant etiam peccata sua, verùm pœnitentiæ